

ferè sum contradicentes habiturus , ipse tamen propendeo in sententiam negativam , donec viva atque oculari apodixi, contrarium quis infallibiliter mihi demonstraverit. Ita namque existimo, quum ignis non possit destruere corpus auri metallicum, multò minùs idem destrui poterit abs liquore solvente, & ratio est , quia id quod magis valet destruere corpora metallica , non potest aurum destruere , multò minus potest corpora metallica destruere, quàm potest ipsum menstruum, quod sic probò, e. g. sume plumbum, in igne reverberii per se calcina, calcinationem continua, usque quo in scorias vitrificantes plumbum abeat, tum videbis plumbum verè ac realiter, secundum suam substantiam metallicam esse destructum, vi videlicet ipsius ignis. Ab altera parte sume aliud plumbum , redige in cerussam, solve cum spiritu aceti, mellis, salis, sulphuris, vitrioli, aqua Regis Aquæ fortis aliisque quibuscunque liquoribus , etiam vehementissimè erodentibus. Hac quidem via nunquam eò adduces plumbum, quin id perita artificis manu , queat ex solutionibus illis reduci. Ex quo opinor liquet majorem esse vim ignis , ad destruendam ipsam metallorum substantiam , quàm sit solventium quorumcunque etiam corrosivorum. Quamobrem argumentum meum repeto. Si ignis non potest destruere corpus auri metallicum, multò minùs poterit idem destruere, menstruum sive solvens, ut nò sine causa pronunciarit, antiquus ille spagyricus Rogerius Bacchon : Faciliùs est aurum facere quàm destruere. Atque hæc quæ diximus adeò vera sunt, ut ipse Crollius, vim, aurum physicè sive radicaliter,